

[LA BATTAGLIA DI CASTELLEONE]

Di Giovanni Simonetta

[Col. 646] Non multo post aliud indignius committitur facinus. Concesserat Franciscus Cremonensibus, et Picininus Castelleonensibus, quinque passuum millibus inter se distantibus, ut in percipiendis frugibus suos cuique fines peregrare liceret. Ob id nullum in suo Franciscus Oppido praesidium reliquerat. Hac occupandi ejus Oppidi opportunitate legati simul et Picininus pellecti, Ursum Comitem primo, paulo post Campanum trans Olium cum tribus equitum millibus, milleque peditibus Cremonae Urbis vexandae, agrique depopulandi simulatione proficisci jubent. Hi uti erat imperatum, factis in omnes Castelleonensium fines uno tempore excursionibus, magnum virorum, mulierum, pecorumque numerum comprehendunt. Ita enim omnes vagos per agros ex improviseo circumvenerant, ut vix perpauci confugere in Oppidum potuerint. Praedam omnem apud Cremenses, Soncinalesque asservari jubent. Deinde Oppidum defensoribus vacuum circumsedent, et nunc pollicitationibus, nunc comminationibus oppidanos ad deditionem sollicitant. Illi etsi propter paucitatem territi erant, Oppidi tamen munitione confisi, se atque Oppidum tueri, et in fide persistere constituunt.

Quibus de rebus cum esset Franciscus certior factus, veritus, ne dedentibus se se prae metu oppidanis, munitione et situ Oppidum insigne suisque maxime peropportuno rebus in Venetorum deveniret potestatem, quod si fieret, maximo suo cum periculo futurum apertissime videbat, Sacramorem confestim mille cum equitibus Pisleonem mittit; scribitque Conrado, quem per eam aestatem Laudensibus praesidio dimiserat, ut copiis omnibus ad ferendum Castelleonensibus auxilium celeriter eodem ire contendat. Donato praeterea, de quo paulo ante mentionem fecimus, mandat ad Oppidum maturet, virosque certos pedestris ordinis virium [647] robore insignes ei socios adhibet, quos secum si id sine periculo fieri possit, in Oppidum subsidio ducat. Sin minus solus ingredi conetur. Is jussa non minus prudenter quam impigre facit. Qui etsi posteaquam Pisleonem venit, conoscebat, clausis passim aditibus, dispositisque ubique custodibus, ne quis egredi aut ingredi Oppidum posset, neminem eodem nisi manifesto cum periculo pervenire posse, tamen Venetum simulat militem. Et ignotus inter notos gradiens, ubi Oppido appropinquat, extemplo concurrentibus multis ad

portam prosiliit, magnoque repellentibus primo accessu ignorantia obsessis, tandem introductus oppidanos confirmat, paratumque prope subsidium adesse demonstrat. At cum triduum ductores, et militis cogendi, et numeri augendi causâ, ferre laborantibus opem distulissent, hostes geminas interim magnae molis bombardas in eam Oppidi partem disponunt, ubi nondum erat perfecta munitio. Quibus quidem tormentis quod exstabat muri, facile in fossam diruitur, et tantus est patefactus hostibus aditus, ut se amplius oppidani tueri diffiderent. Proinde ingenti direptionis formidine perterriti, sic occidente jam Sole de deditioe cum Campano egerunt, obsidibus mox traditis, ut postero die in Solis ortu eum cum praesidio in Oppidum reciperent, Donatumque subinde, quod ejus causâ arces ullo absque negotio obtinere sperarent, retinendum curant. Qui ea re perlata extemplo in munitionem confugit arcem, datque prima noctis vigilia iis, qui Pisleoni erat, per ignis ostensionem atque occultationem excelsa ab turri deditiois signum. Praefecti ea facis significatione compulsi, quod Castelleonenses in ipsa prope Oppidi traditione versari arbitrabantur, aut oppidanorum periculo succurrendum, si sint in fide, aut si defecerint, arcium saltem necessitati prospiciendum, neque in eo amplius cunctandum iudicant. Qua quidem re communi omnium consilio decreta, nocte eadem instructo milite eo advolandum constituunt. Circumactio igitur longo per Cremonenses itinere, qua minus suspicionis hostem habere putabant, interceptisque inter eundem excubiis ad munitiones castrorum paulo ante lucem perveniunt. Fossâ deinde aequatâ Sacramor cum duabus turmis peditatusque parte alterius ad arcis portam et gloriae cupidus, et uxoris, liberorumque, qui in ea arce obsidebantur, salute impulsus, recto per media castra tramite ire properat. Quo nulla cunctatione, omnibus apud hostes quietis, portae appulso, ingens in castris oritur tumultus, ingensque ad arma exoritur clamor. Quo successu ita Conrado, reliquisque praefectis creverunt animi, ut etsi antea ducibus ipsis praesidium in Oppido, Arcibusque modò imponere, proeliique fortunam, ubi longe hostium viribus impares essent, intentatam relinquere consilium fuerat, nunc tamen eos imparatos tumultuantesque uno omnes animo adoriendos censerent. Plerumque enim fit, ut secundae res negligentiam gignant, et contemptus hostis victor evadat. Itaque tribus turmis pro castris in ipso aditu praesidio relictis, acie conferta munitiones ingrediuntur, et in hostes magno clamore sublato impetum faciunt. Donatus interim, Sacramor-[648]-que juncti ex oppido cum omnibus, qui per aetatem arma ferre poterant, mulieribusque simul, eruptione facta magnis vocibus Campanum invadunt. Cujus ad tentorium jam non parvus militum numerus concurrerat. Pugnatur circa illud alquantisper enixe. Nam ubi tam inopinato

repentinoque nostrorum impetu se circumventum videt, proelio paulatim se dissolvere, et Cremam versùs fugere coepit. Pugnatur ubique. Stationes passim diripi coeptae. Quisque rapere, et in Oppidum praedam conferre contendit. Fit ubique virorum clamor. Tenebrae omnia formibidaliora terribilioraque faciebant. Nam multi utrimque, quos nunc insequabantur, ab iis repulsi aguntur, et Venetus à Veneto, et Sfortianos à Sfortiano milite noctis errore saepius caeditur, capiturque. Cohortes, quas in aditu praesidio relictas diximus, metu exterritae, quod suos aut profligatos, aut in Oppido inclusos extimabant, qua venerant, tribus amplius millibus passuum refugerunt. Conradus excurrendo pugnandoque capito inermi late in fronte venabulo percussus, multo manante sanguine, equo veluti moribundus deponitur. Nihilo secius hostes ubique superati fugae se mandant, quorum duces ipso pugnae initio Cremam profugerant. Anastasium ex Sancto Angelo ad Vadum resistendo cum magna suorum parte capitur. Nostri victores castris impedimentisque potiuntur, gravesque praeda ab insequentis fugientibus desistere. Mille circiter equites in eo proelio captos repertum est. Non sine magno Dei immortalis iudicio factum videtur, ut tot copiae intra munitiones et in ipsa Oppidi deditioe parva manu fusae fugataeque fuerint. Qua ex re et Franciscus recentes injurias est ultus, et hostes meritas pro eorum perfidia atque scelere poenas persolverunt. Qui respondere non erubescabant, cum de fide publica Castellionensibus violata increparentur, non Oppidi moenibus, sed incolentibus Oppidum fidem dedisse; quos licet post proelium captivos libertati, et animalia, quae inventa sunt, iis, quorum erant, restituissent, tamen neque Oppido neque oppidanis fidem servasse apertissime constat.

Tratto da: GIOVANNI SIMONETTA, *Rerum Gestarum Francisci Sfortiae Mediolanensium Ducis*, in LUDOVICO ANTONIO MURATORI (a c. di), *Rerum Italicarum Scriptores*, Milano, Società Palatina (*RIS*, XXI), 1732, t. XXI, coll. 646-648.